

qui stare visus est Stephano. Proba visum esse Stephano stantem proprie, situque naturali corporis. Proba dehinc consequentiam, non dici eum proprie sedere, qui proprie stare visus est. Cujus est enim proprie stare, ejusdem etiam sedere proprie. Et quo modo proprie etiam non sedere poterit, qui impropie stare dicitur? 2. foret *hæc exilis Christi dignitas*, sedere proprie. Quam ergo sublimis est dignitas, stare proprie? Si dignitas respicitur, major ea sedentium est, quam stantium. Sedebit etiam in throno gloriose, redditurus ad judicium Dominus Christus. 3. Ita datur, dignitatis esse *sedere*. Non ergo sunt respicienda principia, ex quibus proprie vel sedetur, vel statur. 4. Christus Stephano visus stans a dextris Dei, non desit sedere in dextra Dei. Sedens stetit, stansque sedit. Unius enim rei respectus indicantur plures. Etiam Deus in throno sedet suo, qui surgens ad opem suis ferendam, non definit sedere. 5. Anthropomorphitarum errorem non effugit, qui, proprie sedere in dextra Dei Christum, cum negat, non pariter negat, & stare proprie, si quidem Anthropomorphitarum errat errorem, qui proprie sedere in dextra Dei Christum somniant. 6. Non tantum de corpore Christi ad dextram Dei exaltato naturales situs corporum cogitare non licet, sed gloriosum etiam corpus, jam spirituale, non naturale amplius, illos exuit naturales corporum naturalium situs. 7. Indignum est Christo, in dextra Dei sedente, cogitare, vel loqui de eo, ut *deliciis affluente in coelo empyræo*, & *a deliciis assurgente ad arma*. Et poterat ea, cum Alexandro Magno comparatio, omitti. 8. Expli- catur stetisse armatus *omnipotentia sua*. Itaque omnipotentem vim concipe, qua suos defendit, stans a dextris Dei Christus, non robur naturale valentis corporis. 9. Non rejicimus cogitata de Christo stante, ut *sacerdote*, vel *etiam agonotheta*, ubi literali sensu, rite constituto, variis animum oblectamus allusionibus, tamen proprius cuiusque dicti sensus primo constituendus est, & cum aliis, qui remotiores sunt, ita non confundendus, ut distinctio necessaria apparere facile non possit. 10. Illa vero inanis prorsus cogitatio Cornelii est, nulla textus circumstantia, nullo fidei principio nixa: *elevatus fuit Stephani oculus & visus, ut Jesum integrum in sua specie & figura in cælo, imo super cælum empyraeum stantem*

A 3

clare

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.